

Poterant enim ex Iudaeorum sententia, seu *ad hominem*, uti aiunt, Scripturae testimonis uti. Cum enim Iudaei illorum librorum auctoritatem admitterent, Christus et Apostoli testimonia ex eis deducta contra eos afferebant, ut propriis eos armis expugnarent, quin tamen de obiectiva eorum veritate iudicarent.

Respond. Difficultas haec, quae prima fronte speciosa videtur, prorsus evanescit, si sequentia animadvertantur. 1° Si Christus et Apostoli Scripturas citassent ad hominem, et ut se Iudaeorum opinioni accommodarent, eas nonnisi in controversiis cum Iudaeis allegare debuissent. Quomodo ergo factum est ut eodem modo se gerant etiam cum ad Gentiles loquuntur, vel scribunt? Ita Paulus non minus Scripturae locis utitur in Epistola ad Hebraeos quam in Epistolis ad Corinthios, ad Ephesios, ad Romanos aliosque missis, quorum saltem plerique nunquam Iudaei fuerant, nec Scripturis V. T. crediderant antequam Christi religionem amplecterentur. Non ergo ad hominem, sed ex animo, et ex propria sententia Scripturas adducunt. 2° Christus Dominus non solum cum Iudaeorum turbas aut legis doctores alloqueretur Scripturas in medium adducebat, sed etiam cum discipulos privatim doceret, ubi argumentum ad hominem, et accommodatio locum habere non poterat: Apostoli enim intimi eius familiares erant, et novae religionis adversus Pharisaeos et legis doctores praecones ab eo constituti, quibus proinde Christus absque ulla ambagibus veritatem manifestabat iuxta illud: *vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis* (Luc. VIII, 10. Math. XIII, 11). 3° Denique testimonia a nobis adducta non tantum allegationibus constant, sed etiam generalibus quibusdam sententiis quibus Sacrae Scripturae summis laudibus extolluntur atque *utiles, verae, infallibiles* absolute praedicantur: quae quidem cum adversariorum hypothesi consistere nequeunt. Qui enim ad hominem argumentatur potest quidem adversariorum principia assumere ad eos revincendos, minime vero ipsa principia Iudare, et tamquam vera absolute et indiscriminatim omnibus commendare, nisi ea vera esse sciat, et ipse uti talia habeat.

Quae hucusque disputata sunt satis superque essent ad plenam auctoritatem libris V. T. vindicandam, neque adversarii aliam demonstrationem (criticam scilicet) a nobis iure exigere possent. Ut

tamen liberalius cum iis agamus praestabit nunc criticam etiam demonstrationem adicere, qua scilicet eidem ordini insistentes, quem pro libris N. T. secuti sumus, criticis argumentis ostendemus librorum V. T. 1° authenticam, seu *genuinitatem*: 2° conservationem atque *integritatem*: 3° historicam *veracitatem*. Sit itaque

CAPUT II.

DE LIBRORUM VETERIS TESTAMENTI GENUINITATE DEMONSTRATIO CRITICA.

Recolantur quae alio loco disserimus de genuinitatis conceptu. Hic tantum monerimus in controversia de libris V. T. conceptum genuinitatis *absolutum* et *negativum* potius quam *relativum* ac *positivum* spectandum esse eo quod plurium librorum V. T. auctores lateant, et quandoque etiam epocha ignoretur, aut saltem haec omnino incerta sint, quum tamen de librorum suppositione, vel illegitima origine nulla prorsus suspicio moveri possit.

Ut autem demonstratio accuratior ac plenior sit, dividemus libros Moysi, seu Pentateuchum, a posterioribus libris. Praemittemus vero demonstrationem de genuinitate librorum Pentateucho posteriorum non solum quia facilior est, sed potissimum quia horum librorum auctoritas nobis necessaria erit ad Pentateuchi auctoritatem demonstrandam, de quo nobis praecipua cum Rationalistis erit controversia. Rursum in tractatione de libris Pentateucho posterioribus non agemus fase de singulorum authenticam, cum eadem argumenta plus minus pro omnibus valeant: nec tamen ex alia parte ea quae singulis propria sunt omnino praeteribimus.

Itaque 1° generali Thesi omnes libros Pentateucho posteriores genuinos demonstrabimus, eo scilicet sensu, quo minime spurii vel per fraudem aliquam editi dici possint: 2° vero de singulis aliqua subiciemus, scilicet de eorum argumento, epocha, auctoribus quatenus ex antiqua traditione, vel ex internis ipsorum librorum characteribus concludere fas est: 3° denique de Pentateuchi genuinitate tractabimus.

ARTICULUS I.

DE LIBRIS PENTATEUCHO POSTERIORIBUS UNIVERSIM SUMPTIS.

THESIS XXII.

Omnes libri V. T. Pentateucho posteriores genuini sunt.

Argumenta pro thesi afferemus *externa* et *interna*.

I. Argumenta externa.

Omnia externa argumenta revocari possunt ad constans et universale *testimonium* tum Iudaeorum, tum Christianorum praesertim in suis *adiunctis* spectatum.

Imprimis itaque certissimum est Iudaeos aequae ac Christianos laudatos libros uti genuinos semper habuisse. De Christianis quidem id probare superfluum esset, cum etiam adversarii concedent post Christum magnam semper in Ecclesia fuisse horum librorum auctoritatem. De Iudaeis itaque eorumque testimonio ante aeram Christianam tantum dicemus. Itaque Iudaeorum historiam consulentes inveniemus eos per omnes aetates libros, de quibus loquimur, tamquam legitimos et authenticos habuisse. Id quidem de Iudaeis aetate Christi et Apostolorum viventibus iam implicite a nobis demonstratum est in praecedenti Thesi. Quod etiam desumi potest ex testimonio Iosephi Flavii contra Apionem (Lib. I, cap. 8) quod postea recitabimus. Si vero ad tempora Christo antiquiora paulatim ascendamus eadem semper persuasio apud Iudaeos occurrit. Sane tertio ante Christum saeculo scimus apparuisse Graecam sacerorum librorum versionem, quae *Alexandrina*, vel *Septuaginta interpretum* dicitur, quod ostendit hos libros apud Iudaeos iam tunc in veneratione fuisse, ideo enim eos in Graecam verti curarunt ut eorum lectioni tum publice in synagogis, tum privatim operam darent. Non ignoramus a nonnullis dubitatum esse an versio ista originaria omnes V. T. libros complecteretur, an vero tantum libros Moysi, de qua quidem re in capite sequenti sermo erit: interim vero sufficiat animadvertere hoc saltem certum esse, iam tertio ante Christum saeculo extitisse Graecam nostrorum librorum ver-

sionem. Id enim apparet ex constanti Iudaeorum Alexandrinorum traditione, qui usque ab aetate Ptolemaica iis libris graecae translationis utebantur, quod etiam ex testimonio Graeci interpretis libri Ecclesiastici colligitur, qui in prologo suae versionis clare innuit sua aetate id est tertio ante Christum saeculo desinente totum V. T. graecae extitisse. Ad antiquiorem epocham retrocedendo, saeculo sexto ante Christum occurrit factum Esdrae qui Iudaeis ex captivitate Babylonica reversis sacros libros in unum canonem collectos et a mendis codicum expurgatos tradidit ut constans Iudaeorum traditio refert. Isti vero libri ab Esdra collecti non tamquam novi ac recentes, sed ex antiquorum patrum traditione ut genuini ac omnimoda veneratione digni Iudaeis traditi sunt.

Constat igitur usque a remotissima aetate memoriam apud Hebraeos extitisse librorum V. T. eosque uti authenticos et maximae auctoritatis semper fuisse habitos. Quae quidem omnia Iosephi testimonio in loco sup. cit. confirmantur, ubi numeratis V. T. libris addit: « quanta porro veneratione libros nostros prosequamur ex ipso facto apparet: nam *cum tot iam saecula effluerint* nemo adhuc vel adicere quidquam illis, vel demere, vel mutare ausus est. Omnibus enim Iudaeis inde a natalitate hoc inritum, ac innatum est haec divina dogmata appellare, et in his permanere, ac propterea si oporteat libenter mori. »

Haec autem quae de Iudaeorum traditione breviter innuimus validiora sunt inspectis *adiunctis*; ex quibus duo potissimum praeculis habenda sunt. 1^o *Status religiosus et politicus* Iudaeorum per varias aetates, qui talis fuisse deprehenditur ut consensum Iudaeorum circa sacros libros, impossibilem, et inexplicabilem redderet in hypothesi quod iidem libri spurii essent. Sane ipsa aetate Iudicum dissensiones in negotio religionis apud Iudaeos extiterunt, cum pars populi in Legis observantia permaneret, pars autem in idololatriam propenderet, unde tot calamitates, et tam frequentes servitutes, quibus a Deo puniti sunt. Aetate Regum, initio quidem apparent inimicitiae inter familiae David fautores, et Saulis sectatores, quae postea in apertum schisma eruperunt, quo decem tribus a Iuda, et a Davidis dynastia separatae sunt: duo vero populi inde exorti adversis animis, et perpetuis simultatibus in re praesertim religiosa a se invicem discordabant. Successit captivitas Babylonica qua omnia sus deque versa sunt, populusque Iudaicus vix non est extinctus.

Iam vero in hisce rerum adiunctis quomodo potuisset liber aliquis tamquam a Propheta vel sacro alio scriptore exaratus per fraudem vulgari, ita ut ab omnibus communi consensu reciperetur? Si enim ab una populi parte vel factione confectus atque editus fuisset, ab altera procul dubio fuisset reiectus, vel in quaestionem vocatus, atque ita fraus ac suppositio detecta.

2° Ipsorum librorum *indoles*, et *materia* vim argumenti auget, Libri enim de quibus loquimur non sunt opera mere literaria de quibus Iudaei minus solliciti esse possent, sed eius naturae sunt ut totius gentis attentionem ac sollicitudinem mererentur. Continent scilicet historiam nationis, civilia ac religiosa praecepta, agendi normas pro publicis aequae ac privatis negotiis, vaticinia de futura populi conditione aliaque similia, quae omnia libros huiusmodi maximi momenti efficiebant pro omnibus Iudaeis. Multa praeterea ibidem continentur difficilia, dura, ac probrosa, sive integrae genti sive praecipuis et maxime ab ea dilectis hominibus; quare nec indifferentes esse poterant Iudaei in iis libris aestimandis, nec proclives ad eos recipiendos nisi eorum genuina origo evidens fuisset, ac prorsus indubitata. Itaque gentis Iudaicae testimonium utpote contra se ipsam testantis omni exceptione maius est. Nec difficultatem ingerit quod nomina auctorum in quibusdam libris ignorantur. Iudaei enim ex una parte eos libros pari veneratione ac ceteros semper prosequuti sunt, ex alia vero auctorum nomina se ignorare aut certo non cognoscere ingenuae fatentur; quod argumento est, eos nolle testari nisi quae a maioribus accepta extra omnem dubitationem posita sunt, atque ideo huiusmodi circumstantia sinceritatem testimonii non minuit, sed confirmat. Concludamus authentiam librorum V. T. perpetuo ac publico integrae gentis testimonio inniti, quod sive *per se*, sive potissimum *in suis adiunctis* spectatum rem prorsus evincit.

H. Argumenta interna.

Libri V. T. de quibus agimus sive singillatim considerentur, sive invicem comparentur genuinitatis characterem praeseferunt.

1° Si enim seorsim considerentur apparet imprimis eos non unius auctoris, vel unius aetatis opus esse, sed diversorum auctorum ac diversarum aetatum, et quidem praecise ut eorum tituli et lu-

daeorum traditio de iis testantur. Quod quidem tum ex *materia* quae in iis continetur, tum ex *forma* styloque sermonis satis colligitur. Sane ad *materiam* quod attinet antiquiores ex iis libris vetustam populi Hebraici atque aliarum gentium historiam, mores, consuetudines aliaque adiuncta maxima narrationis simplicitate, et absque ullo sermonis artificio sub, oculos ponunt, quin unquam inconvenientia aut recentiora illis admisceant; quod a senioribus scriptoribus praestari non potuisset; posteriores vero libri eadem simplicitate ac vivacitate cultioris aetatis descriptionem exhibent. Atque haec quidem tam bene respondent variis historiae epochis, ut adamussim referant successivum sive humani generis universim, sive Hebraicae gentis speciatim progressum. In primis enim libris Iosue, Iudicum, Ruth, Iobi etc. simplicissimi ac patriarchales hominum mores exhibentur; in sequentibus autem Regum, Prophetarum, ac Salomonis scriptis primum lenti progressus, frequentes remora ac relapsus, mox rapidum culturae civilis incrementum usque ad exorbitantem luxum occurrunt. Neque omittenda est mirabilis illa progressio qua in hisce libris sensim sine sensu venturi Messiae, et futurae Ecclesiae tempora praenunciantur; nam primum obscure, tum clarius, ac denique in postremis prophetis apertissime haec omnia praedicta ac veluti digito commonstrata leguntur, ita ut ope istorum librorum Pentateuchus Moysi cum Evangelio artissimo nexu coniungatur. Accedit *lingua* ipsa ac *sermonis indoles*: nam haec pro variis libris maxime diversa apparent et variis Iudaeorum epochis respondent; scilicet vocabulorum delectus, inflexio atque usus non parum diversus est in libris Iosue et Iudicum, ac in libris ex. gr. Paralipomenon, Danielis, Esdrae, ac Nehemiae; varietas etiam apparet in tropis atque imaginibus; denique totius sermonis indoles atque ut ita dicam color ita differt ut in prioribus libris archaicus sit, in mediis, ut Regum, Isaiae, Oseae, Psalmorum etc. cultissimus, in posterioribus denique a primaevo puritate paulatim deflectens, donec in Daniele, Esdra ac Nehemia chaldaismis refertus appareat. Quae omnia lectoribus suadent hosce libros a diversis auctoribus, diversisque aetatibus prodidisse. Sed insuper ex attento eorumdem librorum examine colligitur eorum scriptores variis historiae periodis plus minus coevos, vel aetate proximos fuisse. Id enim evincitur praecipue ex familiaritate quam auctores exhibent in rebus etiam minutis, quae singulis aetatibus

propria sunt. Huc pertinent tot historiae adiuncta non solum de Iudaeorum gente, sed de exteris etiam nationibus Philistinorum, Iudaeorum, Persarum, Chaldaeorum, Assyriorum aliorumque, quae licet ex occasione tantum et obiter hoc illuc commemorentur, veritati tamen historiae aliunde notae per omnia consentiunt: item temporum ordo, locorum descriptiones et nomina, sermones, hominum cognomenta, familiarum genealogiae, principum, regum, pontificum series minute expositae, atque sexcenta quae non nisi ab auctoribus coaevis vel quasi coaevis expectari possunt.

2° Crescit vero argumentum si *mutua* horum librorum *consensio*, et mutuum quod sibi praestant testimonium consideretur. Siquidem libri recentiores ubique supponunt antiquiores, eos laudant, ad eos provocant, ut ex. gr. libri Iosue vel saltem eius argumenti meminit liber Iudicum, rursus Iosue et Indices laudantur in Psalmis, et in libris Regum, ii vero apud Prophetas passim commemorantur, item Prophetae antiquiores laudantur a posterioribus, et ita de ceteris ut cuique biblorum margines, vel concordantias percurrenti facile constabit. Unusquisque videt quam validum pro singulorum librorum authenticum argumentum exurgat ex hac mutua concordia, ac conspiratione. Hac enim posita, libri huiusmodi vel omnes spurii sint nec adversarii affirmare audent. Et revera si omnes spurii essent vel ab uno auctore eodem tempore omnes confecti fuissent, vel a diversis auctoribus diversisque aetatibus. Porro primum absurdissimum est. Quis enim credat potuisse quempiam recentiorum scriptorem totam librorum seriem confingere tam diverso stylo ac variis aetatibus tam bene accommodatam, eosque tanquam Iosue, Davidis, Salomonis, Isaiae aliorumque scripta vulgare et universae Iudaeorum genti persuadere sanctorum illorum libros esse, de quibus illi nunquam audissent? Quod si dicamus a variis auctoribus diversisque aetatibus libros editos fuisse, supponendum esset apud Iudaeos seriem quamdam continuam impostorum exstitisse, qui per multa saecula alter alteri successerint, atque opus illud suppositionis continuaverint in unum semper conspirantes, et sibi semper cohaerentes, quin unquam ab integra gente Iudaeorum sacrorum voluminum observantissima, et cuius sortes libri isti maxime respiciebant, detecti fuerint. Quod certe ita absonum est, ut neque refutatione indigeat.

Haec quidem satis esse possunt ad ostendendum libros V. T. Pentateucho posteriores genuinos esse.

Obiectiones quas adversus hanc Thesim oggerunt Rationalistae levissimae sunt. Nihil enim aliud afferunt nisi grammaticas animadversiones, chronologicas obscuritates, notulas quasdam forte textui serius adiectas, quae profecto desperatam adversariorum causam produunt. Si enim haec aliquid valerent, nullus antiquitatis liber nullumque monumentum authenticum dici posset. Has igitur difficultates hic omittemus: earum tamen nonnullas praecipuas diluimus in sequenti articulo ubi de laudatis libris singillatim, et in cap. IV ubi de eorumdem veracitate sermo erit.

ARTICULUS II.

DE LIBRIS V. T. PENTATEUCHO POSTERIORIBUS SINGILLATIM SUMPTIS.

Alia monuimus aptissimam librorum sacrorum divisionem esse in libros 1° *Legales*, 2° *Historicos*, 3° *Propheticos*, 4° *Morales*. Hanc itaque divisionem nunc sequemur, omissis tamen *Legalibus*, qui sunt ipsi Moysi libri, de quibus nunc non agimus.

I. Libri V. T. historici.

Libri historici V. T. Hebraicae gentis gesta ac vicissitudines referunt ab eius ingressu in Palaestinam usque ad tempora Christo proxima. Haec quidem historia in tres epochas dividi potest. Harum *prima* Iudaeos exhibet sub *Iudicum* regimine a Iosue usque ad Samuelem: protenditur autem ab anno mundi 2350 circiter usque ad 2910 (A. C. 1450-1090) secundum chronologiam vulgo receptam. *Secunda epocha* Iudaeorum gentem sistit a *Regibus* gubernatam a Saule usque ad Sedeciam, sub quo regnum excisum est a Chaldaeis. Cum autem post Salomonis mortem decem tribus a Davidis dynastia recessissent, duo inde regna orta sunt, quorum alterum *regnum Iuda* dicebatur, quia tribu Iuda praecipue constabat et parva Benjamin tribu eidem adhaerente, regebatur autem a principibus recta linea a David oriundis: alterum vero *regnum Israel* appellatum est, quod reliquis decem tribubus constans suos reges habuit